

Est hoc *Pontificiorum* Sophisma, quo hanc nostram propositionem: *Fides sine operibus justificat*, per deductionem ad Absurdum infringere adnituntur. *Conclusio*, dicunt, est absurda. E. vel major vel minor. Non Minor, quia hæc est Apostoli. Ergò Major, quæ est Lutheranorum, absurda erit.

Respondet *Stablius* Logic. p. 309. *major* potest accipi *dupliciter*. 1. Ut *in sine operibus* referatur *ad subjectum*, nempe ad vocem *fides*, ut sensus sit: *Fides destituta operibus justificat*, & hoc modo non usurpatur à nostratibus, quum & ipsi doceant, fidem veram non esse sine operibus, æquè atq; ignis non sine calore, sol non sine luce, arbor bona non sine bono fructu. 2. Ut referatur *ad predicatum*, nempe ad verbum *justificat*; Et hoc modo à nostris Theologis intelligitur. Estq; sensus, quod fides justificet sine operibus, i. e. quod opera non sint simul causa justificationis. *In minore* *in sine operibus* conjungitur cum voce *fides*, & divellitur à verbo *justificat*. Committitur ergò *fallacia compositionis* & *Divisionis*.